

Nr. 24.

664

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
NICOLAVSHIERO-
NYMVSGVNDLINGIVS,I.C.

POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE CONSILIARIVS
INTIMVS , ET IVRIVM ATQVE ELOQVENTIAE
PROFESSOR ORDINARIVS,

**VNA CVM PROFESSORIBVS
RELIQVIS,**

CIVIBVS ACADEMICIS b.
PIAM EFFVSI SPIRITVS S. MEDITATIONEM
ETIAM ATQVE ETIAM COMMENDAT.

HALÆ-MAGDEBURGICÆ,
TYPIS IOANNIS MONTAGII, ACAD. TYPOGR.



Vobis erat in votis & exspectatione omnium CHRISTI discipulorum, ut Spiritus S. promissum acciperent per fidem: id die maxime sollemni, coram magna hominum frequentia, in ipsa vrbe Hierosolyma, & admirabili prorsus ratione eis contigisse, vel ex vnius secundi capituli Actuum Apostolicorum recensione constare satis potest.

Postquam enim Dominus noster IESVS CHRISTUS, post passiones suas & mortem, electis per Spiritum S. apostolis sese viuum euidentissimis signis exhibuisset, per quadraginta dies

eos frequentans, & quæ ad regnum Dei spectant cum ipsis locutus; tandem ad dexteram maiestatis DEI in cælos abitus eis mandauit, ne Hierosolymis discederent, sed saepius a se expositum promissum PATRIS illic exspectarent, Acto. I, 2. seqq. Vnde omnes in spem istam erecti concorditer vacabant precibus ac supplicationi, cum feminis etiam & vxoribus, in primis Maria, matre Domini, huiusque cognatis, v. 14. ut ad digne exaudiendum diuinum illud donum expediti omnes atque parati essent.

Quumque dies aduenisset Pentecostes, seu quinquagesima a paschali die, Lev. 23, 13. 16. concorditer omnes in eodem loco erant, Act. II, 1. siue priuatus hic fuerit, ut nonnullis placet, ex coll. c. I, 13. siue, quod probabilius videatur, locus publicus, in atrio Templi, & aliquo eius conclaui, coll. Act. II, 46. c. III, 1. &c. & Iobi Ludolfi Comm. Hist. Aeth. p. 339. not. (o); ut nimis res in publico gesta toti orbi perspecta fieret, omniumque illorum unum munus, eundem spiritum, eamdemque fidem esse, publice constaret. Duplici autem symbolo adhibito, spirantis venti & flammantis ignis, cælitus præ ceteris hi designabantur, & excellentissimis Spiritus S. donis, in primis linguarum extraordinario, & ad munus sibi demandatum necessario, inaugurarabantur, qui testes Domini ad omnes gentes, & quasi Patriarchæ Ecclesiæ N. T. essent futuri, c. I, 8. Matth. XIX, 28. Exsilit enim tunc repente sonitus e calo, tamquam ruentis flatus violenti, qui repleuit totam domum, ubi erant confederates, v. 2. Et adparuerunt eis, siue visa ab eis sunt, disparsa lingua, i.e. Hebraica locutione, flamme, instar ignis, coll. עַנְשׁוֹל lingua s. flamma ignis, Esa. V, 24. ipseque Spiritus S. sub isto flammantis ignis symbolo vel lignea flamarum specie, sed it, h.e. manifest & requieuit, super unumquemque eorum: perpetuo illis adfuturus, Ioh. XIV, 16. τὸ γὰρ καθίσαι τὸ ἐδησίτος σημαντόν μεναι, ut bene ad h. l. Theophylactus habet, Comment. p. 27.

Re-

*Repleti sunt autem omnes Spiritu S. eiusque donis, cooperuntque loqui
aliis, quam quibus huc usque familiariter vni erant, & ut Marcus c.XVI,
17. dicit *nous*, scilicet peregrinis linguis, quas nunquam ante didicerant; id-
que non temere aut confuse, sed prout Spiritus ille dabat eis praecipue &
sententiose effari: ita ut nihil, nisi Spiritu S. ipsorum linguam mode-
rante, proferrentur, v.4.*

*Erant vero Hierosolymis habitantes Iudei, viri religiosi, unum summum
Deum Israelites recte agnolentes, & colentes, ex variis, immo omnibus
fere nationibus hominum, que sub celo hunc terrarum orbem incolunt, &
Iudeis tunc notae erant, ex diuina prouidentia Hierosolymam profeti-
ci, ut huius tanti miraculi spectatores, & irrefragabiles apud
contribules Iudeos testes essent, v. 5. seqq. Orto autem hu-
ius facti rumore, & fama eius per totam urbem diuulgata, in-
gens hominum multitudo confuxit, & confusa animis super nouo hoc &
inauditio casu fuit: quod Apostolos sua quisque vernacula, & diuersos di-
versis linguis loquentes audirent; de quibus tamen, quod earum lingu-
rum expertes antea fuissent, non dubiam ipsi, sed certam scientiam
habebant. Non enim, ut BRENTIVS ad h.l. monet, idita intelligendum
est, quasi apostoli unam tantum vocem effudissent multæ vero & diuersæ aeris rever-
beratione voces auditæ fuissent: hoc enim magis esset audientium Iudeorum, quam
dicentium Apostolorum miraculum. Verum hoc miraculum Spiritus in Apostolis,
non in auditoribus, operabatur. Igitur non unam vocem aut linguam sonabant, &
diuersæ ab auditoribus intelligebantur sed cum Hebreis loquebantur hebraice, cum
Parbis partice, cum Asiaticis asiaticæ: & omnino cuiuscunque lingue aut nationis
turbam accedebant, ea lingua magnifica Dei predicabant. Itaque attoniti
omnes spectatores mirabantur, aliisque ad atios dictitabant: Nonne ecce! omnes
illi, qui loquuntur, Galilai sunt (quorum rudior & contemnitor dialectus
erat, Matth. XXVI, 73. Ioh. I, 47.) illitterati & idiota? At IV, 13. quomodo
igitur nos audimus eos sua quisque lingua, in qua nati sumus? Parbi & Medi,
& Elamite, & qui incolimus Mesopotamiam, Iudeamque & Cappadociam, Pon-
tum & Asiam specialius sic dictam, Lydianam nimis. s. Proconsularem,
ut etiam c. XVI, 6. c. XIX, 10. 26. &c.) Phrygiam & Pamphyliam, & Aegy-
ptum, ac partes Libye, que est secundum Cyrenen, & aduenæ Romani, tum
Iudei, (qui origine & religione tales erant, quamvis alibi nati,) tum
proselyti, ex paganis Iudeorum religionem amplexi, qui hoc venimus;
Cretenses item & Arabes: homines ex regionibus diuersissimis, audimus*

eos nostris linguis magnifica Dei facta, de IESV ex mortuis resuscitato & in supracælestibus collocato, loquentes. Obstupescabant igitur omnes & has hababant, alius ad alium dicentes. Quid hoc sibi vult, aut quid rei hoc esse potest? Sic enim verbum Dei, & quod ante oculos erat, euidentissimum signum eos percellebat, ut ad inquirendam veritatem eos adigeret. Aliitamen, proterue cauillantes, dicebant: vino dulci pleni sunt: hac sua irrisione docentes, nullum tantum & tam euidens esse miraculum, cui non audeat impietas obtrectare.

Quid igitur ad impiam istam calumniam Apostoli & veritatis diuinæ adsertores? Consistens vero Petrus, Lucas ait v.14. seqq. in auctoritate undecim apostolis, per Matthiam nuper suppletis, c.I. 26. vocem suam sustulit, magna cum confidentia eos est adlocutus; ut cordatam compellationem pro obtainenda attentione, oratio mox exciperet longe grauissima, ex qua Spiritus S. gratia ab initio statim abunde cognosceretur. Viri Iudei, inquit, vosque omnes, qui Hierosolymis habitatis! hoc vobis notum esto, & auribus percipite bac verba mea! Dicit vero primum negatiue, & deinde positivæ, quid sentiendum de insigni miraculo esset. Non enim vinolenti vel ebrii ipsi sunt, ut vos ex parte existimatiss; quod vel temporis ratio euidenter refellit: vix enim nunc hora diei, ab orto sole, tertia est; qua in octauam nostram incidere potest, quaque inter Iudeos, saltem tum temporis, nemo ebrius reperiebatur. Sed hoc illud est, quo per prophetam Ioelem c. III, 1. seqq. a Deo promissum fuit: Et erit ultimus temporibus, dicit Deus, effundam ex spiritu meo in omnem carnem, scilicet homines cuiuscumque nationis, Iudeos & gentiles; coll. infra c. X, 44. c. XIX, 6. &c. & propheta bunt filii vestri & filiae vestrae, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem in seruos meos & in ancillas meas in diebus illis effundam ex spiritu meo, & prophetabunt. Et edam miracula in celo sursum, & signa in terra deorsum; sanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: priusquam veniat dies ille Domini magnus & illustris. Et futurum est, ut quicunque invocauerit nomen Domini, seruetur. Confirmat nimis Apostolus, quod in oppositione ad temerariam istorum caulationem dixerat, prophetico testimonio scilicet dicto: quo in rebus sacris nihil aliud ad questiones & dubitationes dissoluendas aptius habetur. Humanæ enim rationes per alias labefactari ut plurimum & euerti possunt; at vox illa diuina, quæ per prophetam dudum con-

conscripta erat, euerti nunquam potest; eaque prædixerat DEVS I. effusionem Spiritus S. v.17.18. II. diem excidii Hierosolymitanum præcedentibus signis, v. 19. 20. & III. credentium quorumuis erectionem, siue salutem per fidem in Christum Iesum, v.21.

Non fert hoc ratio præsentis instituti, vt omnia verba & totam Apostoli orationem per singula membra consideremus, qua is porro diuinæ huius promisionis exhibitionem in se & collegis suis a Christo impletam esse demonstrat, eumque missi Spiritus S. auctorem, commendat a nomine, patria & rebus gestis, v. 22. a morte item, eiusque causis, v.23. & in primis a resurrectione gloriose facta, v. 23- 28. *Viri, inquiens, Israelite, audite sermones istos;* IESVM illum Nazarenum, virum a Deo comprobatum apud vos prestantibus factis, & miraculis & signis, que edidit per eum Deus in medio vestri, sicut & ipsi nostis: *bunc, inquam, definito illo consilio & prestituto Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratis cruci adfixum in teremisis.* Quem Deus suscitavit, doloribus mortis solutis; eo quod fieri non poterat secundum præscientiam & voluntatem Dei, per Prophetas, & in specie per Dauidem iam dudum reuelatam, ut ipse ab ea retineretur. Dauid enim Ps. XVI, 8. seqq. dicit de eo: *Prospiciebam Dominum coram me semper: quoniam mihi est ad dexteram, ne concutiar.* Propterea oblectatum est cor meum, & exultauit lingua mea: immo & caro mea commorabitur cum spe. *Quoniam non derelinques animam meam apud inferos,* seu in statu mortis, & a corpore solutam; nec sine sanctorum illum tuum sentire corruptionem. *Notas mibi fecisti vias vite, replebis me iucunditate in uo conspectu.* Ut adeo, quod Clemens Alexandrinus lib. VI. Strom. p. m. 678. Petrum de se aliisque Apostolis dixisse, tradit. Οὐδὲν ἔτερον γένους λέγομεν, hac prima sua oratione ipse per Spiritus S. gratiam sapientissime quoque obseruauerit.

Sequitur v.29 -- 32. explicatio testimonii illius prophetici, eiusque propior adplicatio: dum iniunctis rationibus demonstrat, Dauidis vaticinium in Psalmo XVI, ad CHRISTI resurrectionem omnino pertinere. *Viri fratres, libere licet dicere apud vos de patriarcha Dauide, eum & obisse & sepultum esse, & monumentum eius esse apud nos adhuc usque diem.* Propheta igitur quum esset, & sciret, Deum iure iurando sibi iurasse, fore ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum illum suscitaret, quem collocaret super eius throno, præciosus locutus

est de resurrectione Christi; quia non derelicta est apud inferos anima eius, neque caro eius corruptionem sensit. Hunc enim Iesum suscitauit Deus, cuius rei nos omnes testes sumus: non ex iis, quae fama incerta percepimus; sed quæ visu & auditu, & tactu certissime cognita habemus, coll. 1. Ioh. I, 1.3 nihil inde lucraturi inter homines, nisi odia, verbera, carceres & mortes: ut etiam Dominus noster nobis futurum prædixit.

Porro CHRISTI commendat in celos adscensionem, ex qua diuinus ille fructus & effectus effusi in ipsos Spiritus S. redundauerit; v. 33. ex superioribus ita colligens: *Itaque dextera seu virtute Dei sursum sublatus, & promissum Spiritus S. adeptus,* (coll. Ps. LXVIII, 19. cum adnotatis) effudit huc, quod vos nunc spectatis & auditis. Id quod rursus v. 34. 35. ex psalmis confirmatur: *Nec enim David adscendit in celos, sed dicit ipse Ps. CX, 1.* *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam: usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Vnde conclusio tandem orationis in v. 36. auditores ad fidem in Iesum Christum ῥητὸν ἐσαυρωέον, 1. Cor. II, 2. breuiter quidem, sed diuina tamen cum deuotio ac grauitate adhortatur: *Certo igitur sicut tota domus Israelis, quod Dominum & Christum seu Messiam constituerit eum Deus: hunc ipsum, inquam, quem cruci vos adfixistis.*

Hactenus oratio Apostoli, digna profecto, cui omnibus modis fides adhibeat. Videamus igitur, quem fructum tandem illa sortita sit apud auditores? Egregium vtique & felicissimum si meliorem eorum partem spectemus. *Hac vero quum audiuerint, Lucas ait v. 37. compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres?* Ad agnitionem veritatis nimirum perdueti, pœnitentiae suæ & fidei desiderium ita exponunt. Petrus autem, consilium de resipiscientia & baptismo suscipiendo suggerens, cum ratione a fine illius & effectu v. 38 proprioq; diuinaruim promissionum obiecto, v. 39. ad eos ait: *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomen IEsu Christi, in remissionem peccatorum; & accipietis dominum Spiritus sancti:* *Vobis enim in primis facta est haec promissio, & liberis vestris, & omnibus, qui longe nunc absunt, quoscumque nimis ex gentibus etiam sec. promissa sua, aduocauerit Dominus Deus noster.* *Quumque aliis & pluribus verbis, sec. v. 40. obtestaretur & exhortaretur eos dicens: Seruamini ex natione hac prava, qui extrema impietate diuina miracula rident, v. 13. & improbos eorum mores deserite!* illi, qui ex audi-

ditoribus sermonem eius libenter receperant, baptizati fuerunt: additaque sunt apostolicæ Ecclesiæ die illo animæ s. homines circiter ter mille, v. 41. eaque virtus Spiritus Sancti non rantum animos eorum ad fidem in IESUM conuertit, sed etiam perseverantes in gratia Domini fecit. Perdurabant autem, v. 42. in doctrina Apostolorum, & communicatione facultatum omniumque charitatis officiorum, & fractione panis s. multo conuictu, quocum sacram cœnam coniungere solebant, & in precibus ac inuocatione Dei. Vnde, quum noua quotidie accederent singularis Dei virtutis & gratiæ signa, omnibus hominibus veneratio, & hostibus obortus est terror: multa enim miracula & signa per Apostolos fiebant, v. 43. ut Dominus ipsis promiserat futurum, Marc. XVI, 17. 18. Omnes autem, qui credebant, eodem loci collecti erant, cum mutua in eamdem fidem in CHRISTVM consensione & summa animorum concordia: omniaque communia, non tamen confuse aut temere, sed prædicta euangelio usq[ue] ad talia sive decenter omnia & iusto ordine, 1. Cor. XIV, 40. habebant, v. 44. Etenim possessiones quoque ac facultates suas quidam ex iis vendebant, & dissipabant ea omnibus pauperibus, PROVT CVIQUE OPVS ERAT, v. 45. Et quotidie perdurabant concorditer in templo, ac domatim s. per singulas domos frangentes panem cibum capiebant cum exultatione & simplicitate cordis, v. 46. iustitiamque pacem atque lætitiam in Spiritu S. sentientes, Rom. XIV, 17. laudabant Deum, & gratiam apud omnem populum habebant; cui noui isti, & ex Deo regnati homines, ob eximiam bonitatem, modestiam, pietatem & patientiam, grati & accepti quoque erant. DOMINVS autem, qui saluerint, & a contumacibus eorumque vitiis se segregarent, v. 40. quotidie ecclesia sua addebat. v. 47.

Videtis, Ciues nostri! quantum boni ex dato Spiritus S. dono accesserit Apostolis, & qui cum illis genuini discipuli CHRISTI fuerunt. Non autem illis solum donum istud contigit, verum idem ipsum etiam omnibus creditibus collaturus est IESVS CHRISTVS; et si non eodem singulari, sed ordinario modo: vt non solum corde credant ad iustitiam, sed ore quoque confiteantur ad salutem, Rom. X, 10. Hoc enim Petrus v. 38. auditoribus suis promittit, & sic Christus in precibus suis apud Ioannem c. XVII, 20. ipse dicit: Non autem pro istis tantum Apostolis rogo, sed etiam pro sis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me. Et dudum apud Prophetam Zephaniam c. III.

c. III. 9. labii puri munus, quo nomen Iehouæ in Christo IEsu invocarent,
omnibus gentibus Deus pollicitus erat. Vestrum itaque est in meditatione harum rerum ita versari, ut ante omnia in mentes animumq; vestrum descendatis, exploraturi coram facie Dei, num & vos Spiritum S. acceperitis, vel acceptū etiam retineatis? aut num ardens & sincerum eius desiderium apud vos vñquam fuerit excitatum? Adeo enim prorsus necessarium vobis est diuinum illud Spiritus S. donum, vt neq; *Abba, Pater!* ad Deum clamare, neq; Iesum Dominum ac Seruatorem vestrum dicere, neque credere vere sine illo positis: multoq; minus partem beatæ illius & immortalis vitæ, quam Christus nobis acquisiuit, sine eo vñquam sperare vel adipiscere. Immo si quis Spiritum Christi non habet, is non est eius, Rom. VIII, 9. Itaque quod Apostolos cum suis fecisile vidimus, etiam vos, præsertim festis his diebus facite, piisque precibus & supplicationi, cum seria verbi diuini meditatione vacate, nec, quod multi magno cum suo malo faciunt, hæc sacra vel prorsus negligite, vel quæ extrema stolidorum hominum vesania est, diuina & cœlestia munera irridete, & Spiritum S. contristate. Enim uero in malitiosam animam non introibit diuina sapientia, nec habitabit in corpore peccatis obnoxio Spiritus S. Qui vero sapientiam & disciplinam Spiritus S. nihili pendunt, infelices omnino sunt, & vana spes est talium, infructuosi quoq; labores & opera eorum inutilia, Sap. III, 11. Quare sermo Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia, docendo & commonefaciendo vos mutuo psalmis & hymnis, & cantionibus spiritualibus cum gratia canendo in corde vestro Domino, Col. III, 16. Scortatio vero & omnis impuritas ne nominetur quidem inter vos, sicut decet sanctos. Et obscenitas, & stultiloquium & iocosa scurrilitas, quæ non conueniunt; sed potius gratiarum actio: ita ut quidquid egeritis sermone aut facto, in nomine Iesu id faciat, gratias agentes Deo & Patri per eum. Et ne inebriemini vino, in quo est asfotia & omnis, ad quævis turpia patranda, profusio, sed impleamini Spiritu. Vbi enim est Spiritus Domini, ibi demum vera est libertas, & ibi vera sapientia!

P.P. in ipsis feriis pentecostalibus cīc lccc xx.

Ja 1586

ULB Halle
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7

PRO
ACADEMIA
NICOLA
NYMVS GV
POTENTISSIMI REC
INTIMVS , ET IV
PROFE
VNA CVM
CIVIB
PIAM EFFVSI S
ETIAM
TYPIS IOANN

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Farbkarte #13



64

AE
RO-
, I.C.
ILIARIVS
TIAE
BVS
60.
ONEM
OGR.